

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas Lindemann

**Programma, Quo, Ad Sacrum Paschale, Et Festum Resurrectionis Jesu Christi
De Mundo, Morte, & tota stygia cohorte triumphantis, sancte celebrandum,
Studiosi iuvenes & Academici cives pie admonentur**

Rostochi[i]: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734587112>

Druck Freier  Zugang



Th. Lindemann.
R. U. 3 Progr. 1620.

PROGRAMMA,
quo,
AD SACRUM PASCHALE,
ET FESTUM RESURRECTIONIS
JESU CHRISTI
DE MUNDO, MORTE,
& tota stygia cohorte
triumphantis, sanctè
celebrandum,

*Studioſi juvenes & Academici cives
piè admonentur*

P. P.

RECTOR E
THOMA LINDEMANNO
J. D. & Professore.



Rostochi

*Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO. M. DC. XX.*





Naxagoras philosophus
in signis, in hoc se natum & a natu-
ra seu Deo conditum esse dicere
solebat, ut Solem aspiceret, ejus
nim & proprietates inquireret,
& potentiam ac ~~aręgęcię~~ suspice-
ret, & prædicareret. Mundi namq;
hancce machinam naturalibus
oculis contemplans, nihil in su-
peris vel inferis Sole invenit lucidius, nihil majus, nihil
potentius, nihil celerius. Solem Cicero exinde appelle-
latum ait, quod Solus comparem non habeat, sed Prin-
ceps ac Rex cœli & terræ, quæstor temporum, modera-
tor & dispensator luminum, ipsiusq; naturæ seu D e i
lampas sit. Gentiles hinc verum D e u m ignorantes exter-
nis oculis & intellectus humani acie divinæ majestatis
sublimitatem penetrare non valentes, Solem inter creatu-
corpora cœlestia, D e u m constituerunt, adorarunt,
eiq; gallos, apros, tandem, Homero teste, agnum niveum
imolarunt. Seneca Solis aliorumq; corporum cœle-
stium virtutes accuratius perpendens, & cum humanæ
naturæ pravitate, vilitate & exiliante contendens, im-
possibile esse dixit, Lumina tam præclara homini servi-
tum DEUM creasse. Dionysius Areopagita Solis natu-
ralis cursum scrutans & Eclypsos ipso Paßionis momen-
te apparentis causas indagans, at non aſsequens, D e u m
ipsum pati divinavit, immò sub Sole naturali, Solem aliud
divinum præfigurari ait, & tandem arrepro fidei triangulo,
adhibita Prophetica & Apostolica norma; credidit.

A 2

Si

Si verò Philosophi Ethnici sola externa; Solis subito cur-
su Zodiacum per meanris, occidentis, orientisq; pulchri-
tudine, tantopere delectati sunt; ut totos se cultui hujus
creati & perituri planetarū devoverent, quanto magis
nos Christianos Solem hodierna die Dominicā ex terræ
gremio, abyssō infernali, triumphali currū, radiantibus
comis, spolijsq; Tataricis micantem, illucescentem con-
templari, ejusdem potentiam, victoriam deprædicare &
effectum gloriosum adversus mundi, mortis & Satanæ,
tela & venena tutissimum scutum, & præsentissimum
pharmacum precibus & firma fiducia suspicere decet.

Ortum Solis hujus patres nostri videre anxiè & avidè
desiderarunt, ast vix cōpotes fieri plene csi non possent,
ad solam adventuri Solis aurorā in Prophetarum scriptis
apparentem exslicerunt, & auroram ipsam, ut Propheta
ait, precibus provocarunt, cervi matutini fontem anhe-
lantis more, inclamarent. Philosophi ex auroræ colore,
ortusq; Solis intuitu, diei eventum qui metiri satagebant,
summo mane circa gallicinium surgebant, & cum deside-
rio purpurantes radios, auroramq; rubente expectabant.
Ast meliori Philosophiæ zelo excitatae mulieres piæ, Ma-
ria Magdalena & Maria Jacobi & Salomæ summo diluculo
ex stratis se proripiunt, oculis somnū excutiunt, Solis cœle-
stis ex gremio terræ prorumpentis ortū querunt. O felices
qui sic auroram præveniunt, quiq; simili ardore, & pietate
Solem justitiæ excipiunt! David psaltes in spiritu ad hu-
jus diei auroram respiciens, cumq; cum desiderio suspi-
rans, & certa fide sperans, se ipsum hisce verbis Psal. 56.
exuscitat. Exurge gloria mea, exurge psalterium &
Cithara: exurgam diluculo, sive ut alius vertit, excita-
bo auroram: hoc est non illam, ut me ex somno excite
præstolabor, sed illam ego morantem evocabo. Sur-
get.

git diluculo, ait Salomon, qui querit bona. Qui Solem
hodie orientem recte videre, ejusq; calore foveri experit,
eum cum Magdalena ad ostium Monumenti excubare,
& affectu pio, propheticō zelo, exclamare oportet: Ani-
ma mea desideravit te in nocte, & spiritu meo in præ-
cordijs meis, de mane vigilabo ad te. Quo facto So-
lem è suo cibili evocabis, Solem, inquam, qui, teste Esaiā,
apparuit ijs, qui in opaca mortis umbra sedebant. Sol
hicce tantum naturali phœbo antecellit, quantum crea-
tor rei creatæ præstat. Solis hodie Gigantis instar ex-
urgentis splendor, Solem magnum quarto creationis
die firmamento coeli infixum, multis modis vincit, imò
penitus offuscat. Hic enim creatus sol labore ille æternus,
quietem & requiem denunciat, hic peccata detegit, pœ-
nani dictat, ille sordes omnes abstergit, formidinem
excitat, pœnam avertit. Hic omnibus malis & bonis
communis, ille verò justorum proprius: hic cotidie oc-
cidit diem noctemq; dividit, ille noctem penitus tollit:
hic vivis lucet, ille etiam sepultis affulget: hic roridam
nubem feriens variegantis coloris repercussionem indu-
cit, ast ille, sanguineo affusus rubore, iridem gratiæ veræ
indicem & arrham certissimam efformat, & intundantem
peccatorum cataclysmum silit. Hujus solis ortus,
occasus, & eclypses philosophi humanæ mentis acie-
metiri valent, att, ad illius Solis cursum & lucem humana
mens noctuæ ad instar cœcutit: hicce Sol inferiora tan-
tum & humanis oculis exposita illustrat; ille verò cordis
arcana penetrat, cœlos ipsos transcedit, deniq; firma-
mento omnibusq; creatis ignis vi liquefientibus, Sol hodie
exoriens æternum coruscabit, corpora transmutabit, &
cultores suos luce æternæ gloriæ illuminabit. Ad cœ-
lestis hujus solis veram contemplationem duabus vijs.

A 3.

Dio-

Dionysius contendendum esse dicebat. Primo Solis divini gloriam & potentiam credendo, laudando, celebrando, deinde humanarum rerum vilitatem agnoscendo. Poëtae, Titanes terræ filios, Soli insidiatos esse, cumq; submergere tentasse, sed insita ignis sacri vi repulso esse, fabulantur. Soli hodierno die exsurgent, non terræ tantum filij, sed & Tartarei validissimi hostes, legiones infernales innumerae, bellum indixerunt, imo eum occisum, crucifixum, sepultum, usq; ad diem terrium tenuerant, sed is hac ipsa luce, fractis inferorum postibus, arreptis valvis veluti verus Samson, semotis ostio monumenti lapidibus, ex ipso terræ abyssῳ prorompens, letissimum & famosissimum triumphum egit. Romani Triumphos bene de Rep. meritis decretos, praēconis viva voce publicate, diem ingressui triumphalem dicere solebant. Quo facto corollæ ligabantur, spectacula adornabantur, præmia conquirebantur, sacra dicabantur, carmina pangebantur. Judæi, Gedeoni, Davidi, Machabæis, de hostibus triumphantibus, ovantes acclamabant, Eucharistica sacra Deus destinarunt. Inter omnes autem mundi historias memorabilis & stupenda victoria est, quam Sol vento excitato, mare rubrum exsiccans & aquas in muros convertens, Israëlitico populo viam per profundum adornans, Ægyptijs insequentibus aquarum vorticibus absorpus, Moësi conciliavit. In cuius victoriæ gratam memoriam Deus festum Paschæ seu transitus instituit, Iussitq; agnum immaculatum cum azymis manducandum immolari, fermentum omnem amoveri. Typico huic agno, verus agnus, in novo fœdere successit, qui omnis labis expers, in ara crucis mactatus, liberum nobis per vitæ hujus pelagus transiit in æternam Canaam paravit. Res ipsa quod est figura

figura seu typo illūstrior, eō lāetitia realis, typicā merito
censeri debet efficacior. Unde & Christiani à primis
Ecclesiæ initij, festum Paschatos, velut salutis nostræ prin-
cipium, basin & fundamentum p̄r̄ omnibus alijs festis
solemnissimum esse voluerunt: idq; non agnorum vel
arietum viētimis, sed labioram, ut Propheta p̄r̄cipit,
vitulis Eucharisticis piæ mentis celebrandum esse duxer-
unt. Noctem Pascha p̄r̄cedentem, in primitiva Ec-
clesia, insomnem fuisse ductam, & pijs precibus ac me-
ditationibus dicatam, Chrysostomus, Tertullianus, &
Lactantius testantur. Idq; adeò severè & sanctè ob-
servatum est, ut Philippus Arabs, primus Christianus Im-
perator, ob neglectas Paschales vigilias, à Fabiano E-
pisoco Romano, teste Rufino, à communione
repulsus & publicam poenitentiam agere coactus fuerit.
Procopius Christianos diem Paschæ totum jejunis &
precibus sacrasse memorat. Imperatores Valentinianus,
Valens Gratianus & Theodosius, dies Paschales festos
solemnesq; esse, ijsq; omnes voluptatum illecebras cessa-
re, judicia, exactiones quiescere & triumphales pānc-
gyres victori gloriose & Soli victorioso decantari &
dicari voluerunt.

Cum itaq; festum hocce sacrum toti orbi Chti-
stiano semper fuerit, in eoq; ritè colendo salus nostra
consistat, & nostrum ordinem, imprimis pieas, devotio &
vita inculpata deceat, ad eamq; spolia non Myriadis Per-
sica, quæ Themistocli somnum excusserunt, sed Indu-
patoris supremi, de tora colorte stygia infernali trium-
phantis, toti orbi Christiano exhibita, Solisq; hodiè
illucescentis, cæcitatem & caliginem gentilem pellens
jubar, nos excitet. Ideo omnes & singulos Academiæ
cives,

cives, imprimis verò studiosos, rogo, moneo & obtestor,
ut dies insequentes Paschales, triumphales, precibus, me-
ditationibus pijs, sanctis concionibus audiendis, devotè,
non in fermento nequitiae & versutiæ sed in azymis syn-
ceritatis & veritatis transigant, non in popinis & gur-
gustijs, ubi vicijs desedascitur, deliteant, sed in cœtu
piorum, ubi victori Christo laus accinitur, compareant,
non comilitones suos innocentes scoristicis, diabolicis
divexationibus expilent, & spolient (uti exactis diebus
ab Harpijs quibusdam factum esse, non sine commotio-
ne intelleximus) sed se invicem exemplo Discipulorum
Emaus meantium, ex scriptis Prophetarum & Aposto-
lorum erudiant, discursibus pijs Christum ad se invi-
tent & pelliciant, deniq; non Bacho, Veneri vel Plutoni
infernali, sed S O L I cœli & terræ Domino, litent & sacri-
ficient. Secus qui faxiat, coercionem & vindictam
promeritam sibi paratam sciant: quam tamen si astu vel
dolo effugerint, vindicem D E I oculum & ultricem
manum non evadent, nec agni Paschalis fructu un-
quam potientur. P. P. Rostochij 16. Aprilis Anno
M. DC. XX.

25 26

27

quoq; politia Academica à prima ejusdem
quidem ad prescriptum decalogi eff
est, easq; non tantum quotannis bis solen
mulgat, sed & studiosis omnibus initiat
rii jurandi praestiti religione, earum obse
secus ac Lycurgus Spartanis Rhetrarun
verò hoc tempore fasces Academici, ear
mea cura commissasint, id in primis mihi
ne quod Anaxandridem Atheniensibus
stoteles refert, eos bonas leges ferre, sed
mixta nostra jure exprobari queat: quam
vitam, & cives Academicos intra offici
ijsq; omnem pretextum ignorantiae legi
Cras hora 9. Leges, à majoribus nostris
ptas, publicitus edicere. Ad cuius acti
diosi non tantum, sed & Professores, Do
divini Ministri, omnesq; adeo Reip. Aca
des confluant, & honorem ac observant
ejusdemq; statutis & legibus delitam,
& pollicentur, & ad quam jurisjurandi
re & facto contestentur, officiose rogo, pat

Significare quoq; hoc publico
sum, deprehendisse Reverendum Concili
nervalibus sacris initiatos, subito ad Ma
gere, salutis propriae prodigos, aliena ho
se provocare & cyclopicam prorsus ferocia
si ad Academiam hancce sanguinem hu
nali hostium vel mortuum ablegati eff
res nostri mederi summa ope anitentes
bus verbis conceptam tulerunt & quota
Ponam relegationis denunciamus per
dein grassatoribus, qui ex provoc



the scale towards document

certis &
ibus usaq;
more pro
scriptis ju
lulo, non
ulcat. Cū
s LEGES
um video,
cisse Ari
ni, Acade
mum ut de
tineam,
constituit
io conscri
m, ut flu
ri, verbi
frequen
Academie
oftentur
inguntur
obtestor.
e iussus
vix Mi
transfu
ad duella
fligere, ac
oni infer
alo majo
sequenti
ulgarunt
egou
ata intra
vel